

_Lettera_N_3450

All'arcivescovo di Siviglia, Joachim Lluch Y Garriga

*Taurini, 30 junii 1881

A

Praestantissime Praesul,

Cum theologus vir Joannes Cagliero ex Hispania in Italiam rediit plurima de bonitate et munificentia tua nobis exposuit. Inter coetera nobis adnotavit tibi esse in votis salesianam domum pro adolescentulis derelictis educandis in hac tua civitate instituendam, eademque tua sub valida protectione habituram.

Talis ac tanta benevolentia pergratos animi nostri sensus exoptulat. Quapropter haec singularia munera tua libentissime accipientes, nos omnes in manus tuas confidimus, atque de nobis et de nostris tu disponere poteris in iis omnibus quae ad majorem Dei gloriam lucrumve animarum aliquid nos collaturos fore iudicaveris.

Si quid in posterum de hoc negotio dicendum vel faciendum sit, tamquam pater nobis semper dicit.

Nos vero in nostris precibus matutini et vespertini exorabimus, ut Deus longitudine dierum te repleat teque incolumem servet donec aut Taurini aut in hac tua dioecesi te personaliter videamus tibi pro benefactis gratias ex intimo corde nostro referre valeamus.

Dum dextera tua, ut peto, nos omnes benedicet, ego omnibus felicior me profiteor Servum et filium tuum

Joannem Bosco sacerdotem

Praesul Praestantissime,

B

*Augustae Taurinorum, 30 junii 1881

Cum Joannes Cagliero nostrae Congregationis sacerdos carissimus ex Hispania rediit plurima de bonitate, comitate et munificentia tua nobis enarravit. Inter alia nobis exposuit tibi in animo esse Salesianam domum in ista tua civitate hac sub valido tuo patrocinio pro juvenibus derelictis educandis instituere.

Talis ac tanta benevolentia erga nos pergratos animi nostri sensus exoptulat. Quapropter huic tuo desiderio libentissime obsequentes nostraque in tuas paternas manus permittimus, ut et de nobis et de nostris libere disponere valeas in iis omnibus quae ad majorem Dei gloriam lucrumve animarum utoria in Domino judicaverit.

Si de hoc negotio in posterum aliquid nobis erit dicendum vel faciendum tamquam pater nobis peramanter semper dicit.

Nos vero in quotidianis nostris precibus incessanter exorabimus ut Dominus longitudine dierum te repleat at conservet donec Augustae Taurinorum apud nos vel in hac tua dioecesi te praesentem videmus, et pro benefactis ex intimo corde nostro gratias agere valeamus.

Tandem dum dextera tua, ut peto, nos benedicet, ego omnibus felicior latentem corde semper ero

Servus et filius tuus

Joannes Bosco sacerdos